offic.

14. V. 57

OFFICIUM PURISSIMÆ & Jmmaculatæ CONCEPTIONIS *Sanctissimæ Virginis* MARIÆ.

Eidem acceptissimum, vti deuotissimo suo famulo, ALPHONSO RODRIGVEZ SOC: IESV *Religioso Reuelauit.*

CALISSIJ,
Typis Collegij Soc. IESU.
Anno Domini 1672

1

ORATIO.

ACtiones nostras, quæsumus Domine aspirando præueni, & adiuuando prosequere, vt cuncta nostra oratio & operatio, à te semper incipiat, & per te cepta finiatur. Per Dominum nostrum JESVM Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus per omnia sacula sæculorum. Amen.

OFFI-

Actus Petitionis.

Oratio ad S. Angelum Custodem.

Obsecro te Angelice Spiritus custos ac tutor meus fidelis vt in via pacis, prosperitatis & salutis te duce hodie dirigar, atq; ab omni spiritu malo, grauiq; tentatione defendar. Te fauente præsidium mihi dari peto vt secundum Dei voluntatem vitia fugiam, & virtutes Christianas exerceam, quo ad nostrum communi Domino in cœlesti Patria, assistam ac seruiam. A.

Ad S. Patronum Menstruum.

DEus tuorum gloria Sanctorum, præsta quæso, intercessione Sancti tui N. Patroni mei, liberer à cunctis malis, animæ & corporis, ac eodem duce & comite securior ad vitam perueniam sempiternam. Amen.

Actus Contritionis.

DEus meus, & misericordia mea, ego vere contritus; flecto genua cordis mei, summoq; cum dolore animi humiliter me accuso, & coram Diuina Majestate tua meam culpam agnosco, confitẽdo omnia peccata mea, & omnes abomi-

nationes commissas, toto tempore vitæ meæ; in superbia, auaritia, luxuria, inuidia, gula, ira, acedia, & in vitijs omnibus quæ ab istis promanant: quia, proh dolor nimis inclinatus, & effusus fui in omnia, Cujus me summoperè pœnitet, ac doleo peccasse, non amore præmij iustis promissi, quo dignus non sum, neque timore suppliciorum peccatoribus infligendorum, quibus vndequaque sum dignissimus: sed ideò tantum quia offendi te, Deus meus, qui ex te ipso summè es bonus, & adorandus; imò ipsa charitas, ipsa Majestas.

Et propter magnum amorem, quem tibi debeo, quemq; erga te gero, *Domine*, odi, detestor, abominor peccatum, amorem proprium, inordinatum amorem creaturarum, & omne illud, quod me potest impedire, quo minus tibi appropinquem & sancto tuo amori.

Quidquid peccaui corpore, anima cogitatione, verbo & opere, siue ex fragilitate, siue ex ignorantia, siue ex malitia, contra

Contra te Deus meus contra Proximum, & me ipſum, quocunque modo toto corde, toto affectu quo poſſum, dico meam culpam, meam maximam culpam; pœnitet me peccaſſe, ac doleo, quod hac hora non ſentiam tantum odium peccati, neque habeam tantum dolorem, & tantam deteſtationem præteritorum, neque tam firmum propoſitum cauendi futura peccata, quantum vellem & deberem habere, vt reſpondeat meis tantis abominationibus.

Ideò te precor Deus meus, accepta illud odium infinitum, quo tu, odio deteſtaris, in ſupplementum eius quod ego habere deberem, & in vicem doloris, quo careo, offero tibi miſericordiſſime æterne Pater, dolores Iesv Chriſti, Filij tui & Redemptoris mei, ſimul & ſacrificium immaculatæ vitæ eius: & ſanctum feruorem ac zelum, qui illum adduxit ad ignominioſiſſimam & acerbiſſimam mortem, vt peccatum deſtrueret.

Ab Iesv, mi clementiſſime, abyſſus

miserationum, ad pedes misericordiarum tuarum me prosterno, obsecrans te per charitatem illam, quæ de cælo te traxit in vteru[m] Virginis, velis mihi applicare merit[a] [ch]arissimæ tuæ Passionis & preciosiss[imi] s[a]nguinis, quem pro peccatoribus, qu[orum] ego maximus sum, effudisti: & ita [de]lere omnes meos defectus, & ignoscer[e m]ihi omnia vitia, peccata, negligentias, ingratitudines. Largire, quæso, vt omnia ista in posterum longè à me fiant & quamuis ego natura non possum esse impeccabilis, saltem ô Bonitas infinita, fac mihi hanc gratiam, ne vnquam mortaliter peccem Sane hoc est, quod etiam tu ipsa via, desideras, petis, & mandas: da quod iubes, & iube quod vis. Deinde fac, Domine, vt loco supradictorum vitiorum in me imprimantur omnis generis sanctæ virtutes; quod totum cedat tibi in gloriam, gratiarum actionem, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO Ante studia.

CReator ineffabilis, qui de thesauris sapien-

†

OFFICIVM IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS B. V. MARIÆ.

Vt habetur in horis quibusdam antiquis.

AD MATVTINVM.

Eia mea labia nunc annuntiate. Laudes & præconia Virginis Beatæ.

Domina in adiutorium meum intende.

Me de manu hostium potenter defende.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. A. A. Hy-

Hymnus.

SAlue mundi Domina,
Cælorum Regina:
Salue Virgo Virginum,
Stella matutina.
Salue plena gratiæ,
Clara lux diuina,
Mundi in auxilium,
Domina festina.
Ab æterno Dominus,
Te præordinauit,
Matrem vnigeniti
VERBI quo creauit.
Terram, Pontum, Æthera,
Te pulchram ornauit,
Sibi Sponsam vt in qua
Adam non peccauit.

Elegit eam Deus, & præelegit eam.
In tabernaculo suo habitare fecit eam.

Domina exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

SAncta MARIA Regina Cælorum. Mater Domini nostri IESV Christi, & mundi *Domina*, quæ nullum derelinquis, & nullum despicis: respice me Domina clementer oculo tuo pietatis, & impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum: vt qui nunc tuam sanctam Conceptionem deuoto affectu recolo, æternæ in futurum beatitudinis brauium capiam, ipso quem Virgo peperisti donante *Domino* nostro IESU Christo. Qui cum Patre & *Spiritu* sancto viuit & regnat in Trinitate perfecta Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Domina exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.
Benedicamus Domino.
Deo gratias.
Et Fidelium *Animæ* per misericordiam Dei, requiescant in pace. Am.

Ad Primam.

Domina in adiutorium meum intende.
Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri, & Filio, & *Spiritui* sancto.
Sicut erat in principio, &c.

Hymnus.

SAlue Virgo sapiens,
*Do*mus Deo grata,
Columna septemplici,
Mensaque exornata.

Ab omni contagio
Mundi præseruata.
Ante sancta in vtero
Parentis quam nata.
Tu Mater viuentium,
Et porta es sanctorum,
Noua stella Iacob,
Domina Angelorum.
Zabulo terribilis,
Acies castrorum,
Portus & refugium,
Sis Christianorum.

Ipse creauit illam in Spiritu Sancto. Et effudit illam super omnia opera sua.

Domina exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Sancta Maria &c. *vt supra.*

Ad Tertiam.

Deus in adjutorium meum &c.
Me de manu hostium potenter &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

SAlue *Arca* fœderis,
Thronus Salomonis,
Arcus pulcher *Æ*theris,
Rubus visionis.
Virga frondens germinis,
Vellus *G*edeonis,
Porta clausa Numinis,
Fauusque Samsonis.
Decebat tam nobilem
Natum præcauere
Te ab originali,
Labe Matris Euæ.
Almam, quam elegerat
Genitricem verè,

Nulli prorsus sinens,
Culpæ subiacere.
Ego in altissimis habito:
Et Thronus meus in columna nubis.
Domina exaudi orationem meam
Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Sancta MARIA &c. *vt supra.*

Ad Sextam.

Domina in adiutorium meum &c.
Me de manu hostium &c.
Gloria *Patri*, & Filio, &c.

Hymnus.

Salue ô puerpera,
Templum Trinitatis,
Angelorum gaudium,
Cella puritatis.
Solamen mærentium,
Hortus voluptatis,

Palma patientiæ,
Cedrus castitatis.
Terra es benedicta,
Et sacerdotalis,
Sancta & immunis
Culpæ originalis.
Ciuitas Altissimi:
Porta orientalis,
In te est omnis gratia,
Virgo singularis.
Sicut lilium inter spinas
*S*icut amica mea inter filias Adæ.
*D*omina exaudi orationem &c.

Oratio.

*S*ancta MARIA &c. *vt supra.*

Ad Nonam.

Domina in adiutorium meum &c.
Me de manu hostium potenter defende. Gloria Patri, &c.

Hy-

Hymnus.

Salue vrbs refugij,
Turriſque munita
Dauid propugnaculis
Armiſque inſignita.
Tu in Conceptione,
Charitate ignita,
Infernalis poteſtas,
Eſt à te contrita.
Eia mulier fortis,
Et inuicta Judith,
Pulchra Abiſai Virgo,
Verum fouens *D*auid.
Rachel procuratorem
Ægipti geſtauit,
Sed *S*aluatorem mundi
MARIA portauit.
Tota pulchra es amica mea
Et macula originalis non eſt in te.

Domi-

Domina exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.
Oratio, vt supra.

Ad Vesperas

Domina in adiutorium meum &c.
Me de manu hostium potenter defende. Gloria Patri, &c.

Hymnus.

Salue Horologium,
Quo retro trahatur.
Sol in decem lineis,
VERBVM incarnatur.
Homo, vt ab inferis,
Ad summa tollatur,
Immensus ab Angelis,
Paulo minoratur.
Solis hujus radijs
MARIA coruscat.
Et consurgens aurora,
In Conceptu micat.

Lilium inter ſpinas,
Quæ ſerpentis terat
Caput, pulchra vt luna,
Errantes colluſtrat.
Ego feci in cælis, vt oriretur lumen indeficiens,
Et ſicut nebula texi omnẽ terram.
Domina exaudi orationem &c.
Oratio. vt ſupra.
Ad Completorium.
Conuertat nos Domina tuis precibus placatus IESVS Chriſtus Filius tuus.
Et diuertat iram ſuam à nobis.
Domina in adjutorium meum &c.
Me de manu hoſtium potenter defende. *Hymnus.*
Salue Virgo nobilis,
Mater illibata

Regina clementiæ
*S*tellis coronata.
Supra omnes Angelos,
Pura immaculata,
Atque ad Regis dexteram
*S*tans veſte inaurata.
Per te Mater gratiæ,
Dulcis ſpes reorum,
*F*ulgens ſtella maris:
Portus naufragorum.
Patens cæli janua
Salus infirmorum,
Videamus Triadem,
In aula *S*anctorum. Amen.
Oleum effuſum MARIA nomen tuũ.
*S*erui tui dilexerunt te nimis.
Domina exaudi orationem &c.
Oratio. vt ſupra.

Com-

COMMENDATIO.

SUpplices offerimus
Tibi, Virgo pia,
Has horas canonicas:
Fac nos vt in via
*D*ucas cursu prospero,
Et in agonia
Præsens nobis assiste,
O dulcis MARIA. Amen.

*D*EO gratias.

Sequens Antiphona à Paulo V. Pont. Max approbata est: qui eandem vn. cum oratione de immaculata Virgini Conceptione recitantibus, centum die rum indulgentias concessit.

Antiph. Hæc est virga, in qu. nec nodus originalis, nec cortex a ctualis culpæ fuit.

In Conceptione tua, Virgo, imm. culata fuisti. *Ora.*

Ora pro nobis Patrem cujus Filium peperisti.

ORATIO.

DEUS qui per immaculatam Virginis Conceptionē, dignum Filio tuo habitaculum præparasti: quæsumus, vt sicut ex morte eiusdem Filij tui præuisa, eam ab omni labe præseruasti: ita nos quoque mundos eius intercessione ad te peruenire concedas. Per eundem, &c.

Oratio Sodalitatis.

SAncta MARIA Mater DEI & Virgo, ego N. te hodie in Dominam, Patronam, & Aduocatam eligo, firmiterque statuo ac propono, me nunquam te derelicturum, neq; contra te aliquid vnquam dicturū, aut facturum, neque permissurum,

vt à meis subditis aliquid contra tuum honorem vnquam agatur. Obsecro te igitur, suscipe me in seruum perpetuum, adsis mihi in actionibus meis omnibus, nec me deseras in hora mortis. Amen.

L I T A N I Æ
De Beatissima V. MARIA.

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cælis DEUS, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miserere no.
Sancta Trinitas vnus Deus, Mi.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.

Sancta DEI genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Mater Chriſti,
Mater diuinæ gratiæ.
Mater puriſſima,
Mater caſtiſſima,
Mater inuiolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,

Ora pro nobis.

Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Saluatoris,
Virgo prudentiſſima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens.
Virgo fidelis,
Speculum iuſtitiæ,

Ora pro nobis.

Sedes ſapientiæ,
Cauſa noſtræ lætitiæ.
Vas ſpirituale,
Vas honorabile,
Vas inſigne deuotionis,
Roſa myſtica,
Turris Dauidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Fœderis arca,
Ianua cæli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Conſolatrix afflictorum,
Auxilium Chriſtianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,

Ora pro nobis. Ora pro nobis.

Regina Apostolorum, ora.
Regina Martyrum, ora.
Regina Confessorum, ora.
Regina Virginum, ora.
Regina Sanctorum omnium, ora.
Regina Poloniæ, ora.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domiue,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. *Aue Maria, &c.*

Sub tuum præsidium confugimus Sancta DEI Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus: sed à periculis cunctis libera nos, semper Virgo gloriosa & benedicta. Ora pro.

Ora pro nobis Sancta DEI genitrix,
Vt digni efficiamur promissionib9 Christi.

OREMVS.

DEfende quæsumus Domine, Beata MARIA semper Virgine intercedēte, istam ab omni aduersitate familiam, & toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere, clementer insidijs. Per Christum, &c.

Commendatio sui ipsius Beatæ Virgini MARIÆ.

O Domina mea Sancta MARIA, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ, hodie, & quotidie, & in hora exitus mei, animam meam, & corpus meum, tibi commendo: omnem spem: & consolationem meam, omnes angustias & miserias meas, vitam & finem vitæ meæ tibi committo: vt per tuam Sanctissimam intercessionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur & disponantur opera, secundùm tuam tuiq; filij voluntatem, Amen.

Actus Intentionis mane vsurpandus

MVnificentissime DEVS cujus beneficentiæ parem vt referam gratiam, si me millies intra horam dedero, non inuenio; nihilominus remanebo infinitis modis tibi obstrictus, offero Diuinæ Majestati tuæ ad laudem & gloriam Sanctissimi Nominis tui: in honorem Sanctissimæ Virginis MARIÆ, & memoriam N. in gratiarum actionem pro innumeris beneficijs tuis; in satisfactionem pro peccatis meis, ac gratiam tuam impetrandam; tum vt iuuem animas tam in peccato, quã in purgatorio existentes, omnia & singula, quæ hac die cogitaturus, dicturus, facturus, & te permittente passurus sum, quæ tum pro tua bonitate infinita, tum mortis, vitæ, Passionis Domini nostri JESU Christi, Sacratissimæ Matris eius, & beatorum Sanctorum tuorum, totiusq; Ecclesiæ tuæ meritis in odorem suauitatis admittere digneris.

O Domina mea Sancta MARIA; *vt supra*

Oratio

Quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es: id tibi totum offero ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandũ. *Amorem*, quæso tui solum, cum gratia tua mihi dones, & diues sum satis nec aliud quidquam ltra posco.

II. Eiusdem.

ANima Christi sanctifica me, Corpus Christi salua me. Sanguis Christi inebria me. Passio Christi conforta me. O bone IESU exaudi me, intra vulnera tua absconde me, & ne permittas me separari à te, ab hoste maligno defende me & in hora mortis meæ voca me, & iube me venire ad te, vt cum Sanctis tuis laudem te, & in æternum fruar te.

Post Comm.

Clemens VIII. concessit vt toties libe-res animam ex purgatorio, quoties ad honorem S. SINDONIS IESU Christi, le-ges sequentem Orationem.

ORATIO.

O DEUS, qui nobis in sancta SINDONE, qua Corpus tuũ Sacratissimum de cruce depositum, à Ioseph inuolutum fuit, Passionis tuæ vestigia reliquisti; concede propitius, vt per mortem & sepul-turam tuam ad resurrectionis glo-riam perducamur. Qui viuis & regnas cum Deo Patre, in vnitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculo-rum A-men.

ſapientiæ tuæ, tres Angelorū hierarchias annotaſti, & eas ſupra cælum Empireum miro ordine collocaſti, atque elegantiſſime per partes vniuerſi diſtribuiſti. Tu inquam qui verus fons luminis & ſapientiæ, atq; ſupereminens principium diceris: infundere digneris ſuper intellectus mei tenebras, tuæ radium claritatis, duplices, in quibus natus ſum à me remouens tenebras, peccatum ſcilicet & ignorantium; Qui linguas infantium facis eſſe diſertas, linguam meam erudias, atq; in labijs meis gratiam tuæ benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi ſubtilitatem, addiſcendi facilitatem, loquendi gratiam copioſam: ingreſſum inſtruas, progreſſū compleas. Per Dominum noſtrū. Amen.

EXAMEN Conſcientiæ

I. Gratiarum Actio.

Benedicta ſit ſancta Trinitas atque indiuiſa Vnitas Confitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.

Adoro,

Adoro, benedico, glorifico te Domine Deus meus, propter infinitam gloriam tuam. Gratiaſq; tibi ago Domine Sancte Pater, Per Filium tuum in Spiritu S. pro vniuerſis beneficijs tuis mihi indigniſſimo, & omnibus creaturis à te collatis, præſertim quòd me ad imaginem tuam creaueris, Angelicâ cuſtodia, & Beatiſſimæ Virginis, Sanctorumq; tuorum patrocinio munieris: ad Eccleſiam tuam S. vocaueris. Idoneos inſtructores: cæteraque vitæ & ſalutis ſubſidia prouideris: peccantem me hucvſq; toleraueris, inter caſus & pericula incolumem conſeruaueris, vſque ad hanc horam: pro his ac innumerabilibus alijs beneficijs confiteantur tibi Domine, omnia opera tua: & Sancti tui benedicant tibi. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. &c.

II. Petitio luminis.

Emitte lucem tuam & veritatem tuam Domine, quâ illuſtratus videre poſſim omnia peccata mea, quibus diuinam Majeſtatem

jastatem tuam offendi illaque detestari, & dignè deflere, & corrigere valeam.

III. Discute Conscientiam.

COGITATIONES.

An fuerint otiosæ, vanæ, superbæ, impuræ, gulosæ, acediosæ, temerariæ, fraudulentæ, timidæ, frustra sollicitæ, murmuratiuæ, inconstantes in bono, respectus & rationes humanas attendentes.

VERBA.

An fuerint superba, mordacia, inuerecunda, irata, detractoria, contumeliosa, mendacia ambigua, simulata, adulatoria, affectata, ironica, otiosa, vana.

OPERA.

An fuerint sine recta intentione facta, in gratiam tantùm hominum, contra præcepta Dei, Ecclesiæ, Superiorum. Contra officium proprium, cum scandalo, cum remorsu conscientiæ, cum offensa proximi lædendo, defraudando, non restituendo bonum, famam, &c.

IV. Dolorem exprim: de peccatis.

Domine Deus meus, quoniam tu es suprema bonitas, & quia amo te super omnia, doleo ex intimo corde meo; quod te his & alijs innumerabilibus peccatis meis aliquando offenderim.

Alium Actum Doloris Vide supra.
Post Examen dic Psal: pro defunctis.

DE profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius sperauit anima mea in Domino.

A custodia matutina vsque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.

Requiem æternam dona eis Domine.
Et lux perpetua luceat eis.

Hymnus S. Ambrosij.

Te lucis ante terminum,
Rerum creator poscimus
Vt solita clementia,
Sis præsul ad custodiam.
Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata:
Hostemq; nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.
Præsta Pater omnipotens,
Per IESUM Christum Dominum
Qui tecum in perpetuum,
Regnat cum Sancto Spiritu. Amen.

Custodi nos Domine vt pupillam oculi.
Sub vmbra alarum tuarum protege nos.

ORATIO.

Ante Confessionem.

DOmine IESU Christe animarum nostrarum amator ardentissime, qui

præ

præ nimia charitate tua, non vis mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat; doleo ex intimo corde meo, quod te Deum meum atq; benignissimum Redemptorem, cui omnia peccata displicent, offenderim, qui me vsq; adeo dilexisti, vt pro me seruo vilissimo sanguinem tuum pretiosum fundere, & mortem acerbissimam subire dignatus sis. O bonitas infinita Deus meus, vtinam te nunquam offendissem, quia infinite bonus es, & super omnia cordis mei desiderabilia amabilis. Ignosce, bone IESU misericordiam petenti. Miserere peccatoris, pro quo apud Patrem tuum vox sanguinis tui interpellat. Ignosco etiam amore tui mi suauissime IESU, omnibus qui me vnquã offenderunt, firmiterq; statuo vniuersa deinceps peccata fugere, & ea quæ contra immensam bonitatem tuam commisi, in amaritudine animæ meæ confiteri, ac te *Deus* meus, propter temetipsum super omnia in æternum amare.

Oratio.

ORATIO.

Ante Communionem.

O Dulcissime atq; amantissime Domine, quem nunc deuotè desidero suscipere, tu scis infirmitatem meam & necessitatem quam patior: in quantis malis & vitijs iaceo, quam sæpe sum grauatus, tentatus, turbatus & inquinatus: Pro remedio ad te venio, pro consolatione & subleuamine te deprecor. Ad omnia scientem loquor, cui manifesta sunt omnia interiora mea, & qui solus potes me perfectè consolari & adiuuare. Tu scis, quibus bonis indigeo præ omnibus & quam pauper sum in virtutibus. Ecce sto ante te pauper & nudus gratiam postulans, & misericordiam implorans. Refice esurientē mendicum tuum, accende frigiditatem meam igne amoris tui. Illumina cæcitatem meam claritate præsentiæ tuæ. Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia grauia & contraria in patientiam, omnia infima & creata in contemptum & obliuionem. Erige cor meum ad te in

cœlum, & ne dimittas me vagari super terram. Tu solus mihi ex hoc iam dulcescas vsq; in sæculum. quia tu solus cibus & potus meus, amor meus & gaudium meum, dulcedo mea & totum bonum meum. Vtinam me totaliter ex tua præsentia accendas, comburas, & in te transmutes, vt vnus tecum efficiar spiritus, per gratiam internæ vnionis & liquefactionem ardentis amoris. Ne patiaris me ieiunum & aridum à te recedere sed operare mecum misericorditer, sicut sæpius operatus es cum Sanctis tuis mirabiliter. Quid mirum, si totus in te ignoscerem, & in me ipso deficerem quum tu sis ignis semper ardens & nunquam deficiens: amor corda purificans.

ORATIO. *SANCTI IGNATII.*

SVscipe Domine, vniuersam libertatem meam, accipe memoriam, intellectū atq; voluntatem omnem.

Quid-

ORATIO

Ad beatam V. Mariam.

IN manus tuas, ô ſãctiſſima Virgo MARIA, ego indignus peccator, commẽdo corpus meum, & animã meam, ſenſus meos, & omnes actus meos, parentes, conſanguineos, amicos, & benefactores meos, viuos & defunctos, & omnes mihi recommendatos, & quibus debitor ſum. Miſerere noſtri clementiſſima Virgo MARIA Mater Domini noſtri IESV Chriſti, inclina nunc pias aures tuas ad preces meas, & libera nos ab omni tribulatione, anguſtia, & omnibus nos affligentibus, ac calumniantibus. O pia Dei genitrix Virgo MARIA, ne permittas me ampliùs tẽtari, quàm mea fragilitas ſuſtinere poteſt. O Domina glorioſiſſima Virgo MARIA, ne derelinquas me in tribulatione mea, vt non corruam in cõſpectu aduerſariorum meorum, ne de me gaudeant inimici, ſed me confortet tua

gratia, ad voluntatem Filij tui faciendã, & ad propositum meum ipsi fideliter obseruandum. Ad te dulcissima, & serenissima Virgo MARIA, petitiones meæ, & dolores cordis mei ascendant: ne quæso reuertatur vacua ad me deprecatio mea, sed misericordia tua perueniat, & sequatur me vsque in senectam, & senium. O Domina præstantissima, dignissima, mitissima, castissima, benignissima, fælicissima, pulcherrima, misericordissima Virgo MARIA, ne derelinquas me in hora mortis meæ, sed ab omni malo me tunc eripias, & perducas miseram animam meam in locum refrigerij, pacis, & quietis: vbi benedicat, & glorificet, atq; laudet IESVM Christum Filium tuum, vnà cum patre & Spiritu sancto, in secula seculorum, Amen.

SALVTATIO brevis B. V. Mariæ.

AVe MARIA, Ancilla sanctæ Trinitatis humillima.

Aue MARIA, Præelecta Dei Patris sanctissima.

Aue MARIA, Sponsa Spiritus sancti amabilissima.

Aue Maria, Soror Angelorū pulcherrima.

Aue Maria, Mater Domini nostri IESV Christi dignissima.

Aue Maria, Promissio Prophetarum desideratissima.

Aue Maria, Regina Patriarcharū gloriosissima.

Aue Maria, Magistra Euangelistarum veracissima.

Aue Maria, Doctrix Apostolorū prudentissima.

Aue Maria, confortatrix Martyrum validissima.

Aue Maria, fons & plenitudo Confessorum suauissima.

Aue Maria, decus & corona Virginū iucundissima.

Aue Maria, salus & consolatrix viuorum

sum, & mortuorum promptissima. Mecum sis in omnibus tentationibus, tribulationibus, necessitatibus, angustijs, & infirmitatibus meis, & maximè in hora mortis meæ non desis mihi, & impetra mihi omnium peccatorum meorum veniam, & cœlestis patriæ gloriam, Amen.

AVe sanctissima MARIA, Mater Dei, Regina cœli, porta Paradisi, Domina mundi, tu es singularis Virgo pura. Tu concepisti IESVM sine peccato. Tu peperisti Creatorem, & Saluatorem mundi. Ora pro nobis IESVM, dilectum Filium tuum, vt liberet nos ab omnibus malis, Amen.

ORATIO

O Domina nostra, mediatrix nostra, Aduocata nostra, tuo Filio nos cōmenda, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos repræsenta. Fac ô benedicta, per gratiam, quam meruisti, per misericordiam quam peperisti; vt qui te mediante

digna-

dignatus est fieri particeps infirmitatis & miseriæ nostræ, te quoque intercedente, participes, nos faciat beatitudinis & gloriæ suæ IESVS Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia DEVS benedictus in secula seculorum, AMEN.

OFFI-

OFFICIVM
PARVVM
De Sanctissimo Nomine JESV.

AD MATVTINVM.

DOmine labia mea eperies,
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
*D*EVS in adiutorium meum intende.
Domine ad adiuuandum me festina.
Gloria patri, & Filio, &c.

HYMNVS.

JESV dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia:
Et super mel & omnia,
Eius dulcis præsentia.

ORATIO.

DEVS, qui glorioso ac mirabili Nomine dilectum Filium tuum IESVM Christũ, Redem-

Redemptorem nostrum appellare voluisti; concede propitius, vt qui eiusdem benedicti Saluatoris nomē celebriter veneramur in terris, eius felici consortio perenniter perfruamur in cœlis, Amen.

AD PRIMAM.

Devs in adiutorium meum intende,
Domine ad adiuuandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio, &c.

HYMNVS.

IESV dulcedo cordium,
Fons viuus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium.
Et omne desiderium.

Oratio, *vt supra.*

AD TERTIAM.

Devs in adiutorium meum intende.
Domine ad adiuuandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio, &c.

HYMNVS.

IESV

IESV mi bone sentiam,
Amoris tui copiam:
Da mihi per præsentiam,
Tuam videre gloriam.

Oratio, *vt supra.*

AD SEXTAM.

Devs in adiutorium meum intende.
Domine ad adiuuandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio, &c.

HYMNVS.

IESV auctor clementiæ,
Totius spes lætitiæ,
Dulcoris fons & gratiæ,
Vera cordis deliciæ.

Oratio, *vt supra*

AD NONAM.

Devs in adiutorium meum intende.
Domine ad adiuuandum me festina,
Gloria Patri, & Filio, &c

HYMNVS.

IESV decus Angelicum.

In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cœlicum.
Oratio, *Vt ſupra.*

AD VESPERAS.

Deus in adiutorium meum intende.
Domine ad adjuuandum me feſtina.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNVS.

IESV flos Matris Virginis,
Amor noſtræ dulcedinis,
Tibi laus honor Numinis.
Regnum beatitudinis.
Oratio, *Vt ſupra.*

AD COMPLETORIUM.

CONuerte nos Deus ſalutaris noſter.
Et auerte iram tuam à nobis.
Deus in adiutorium meum intende.
Domine ad adiuuandum me feſtina.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio, &c.

HYMNVS.

IESVS in pace imperat,
Quæ omnem sensum superat,
Hanc mea mens desiderat,
Et ea frui properat.

ORATIO.

DEVS, qui glorioso ac mirabili Nomine, dilectum Filium tuum IESUM Christum, Redemptorem nostrum appellare voluisti, concede propitius, vt qui eiusdem benedicti Saluatoris Nomen celebriter veneramur in terris, eius felici consortio perenniter perfruamur in cœlis. Amen.

Commendatio ad IESUM.

Dignare benignissime IESV, per hoc sanctissimum nomen tuum, esse mihi IESVS, & dare mihi spiritum illum tuum, quem qui non habent, non sunt tui.

Inser

Insere quæso cordi meo, hoc amabile nomen tuum, vt eius dulcedine pascar, eiusque amore ita ardeam vt moriar in te. IESV mi dulcissime, IESV mi suauissime, IESU mi dilectissime, inuocato semper hoc iucundissimo, hoc mellifluo, hoc salutifero nomine tuo,
IESV, IESV,
IESU.

LITANIÆ
DE NOMINE JESV.

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, mi.
Spiri-

*S*piritus ſancte DEUS, mi.
Sancta Trinitas vnus DEUS, mi.
IESV Fili Dei viui, mi.
IESU potentiſſime, mi.
Ieſu fortiſſime,
Ieſu perfectiſſime,
Ieſu glorioſiſſime,
Ieſu mirifice,
Ieſu iucundiſſime,
Ieſu chariſſime,
Ieſu clarior *Sole*,
Ieſu pulchrior Lunâ,
Ieſu ſplendidior ſtellis,
Ieſu admirabilis,
Ieſu delectabilis,
Ieſu honorabilis,
Ieſu humillime,
Ieſu pauperrime,
Ieſu mitiſſime,

Miſerere nobis. Miſerere nobis.

Ieſu patientiſſime,
Ieſu obedientiſſime,
Ieſu caſtiſſime,
Ieſu amator caſtitatis,
Ieſu amator pacis,
Ieſu amator noſter,
Ieſu ſpeculum vitæ,
Ieſu exemplar virtutum,
Ieſu decus morum,
Ieſu zelator animarum,
Ieſu refugium noſtrum,
Ieſu pater pauperum,
Ieſu conſolator afflictorum,
Ieſu theſaurus fidelium,
Ieſu gemma pretioſa,
Ieſu armarium perfectionis,
Ieſu bone paſtor ouium,
Ieſu ſtella maris,
Ieſu lux vera,

Miſerere nobis.

Miſerere nobis.

Iesu sapientia æterna,
Iesu bonitas infinita,
Iesu gaudium Angelorum,
Iesu Rex Patriarcharum,
Iesu inspirator Prophetarum,
Iesu Magister Apostolorum,
Iesu Doctor Euangelistarum,
Iesu fortitudo Martyrum,
Iesu lumen Confessorum,
Jesu sponse Virginum,
Jesu corona Sanctorum omniũ,

Miserere nobis.

Propitius esto, Parce nobis Jesu.
Propitius esto, Exaudi nos Jesu.
Ab omni malo, Libera nos Jesu.
Ab omni peccato, Libera nos.
Ab ira tua, libera nos Jesu.
A subitanea & improuisa morte, libera nos Jesu.
A morte perpetua, libera nos.

Ab in-

Nomine IESV.

Ab insidijs diaboli, libera nos.
A peste, fame, & bello, libera nos.
A transgressione mandatorum tuorum, libera nos Iesu.
Ab incursu omnium malorum, li.
Per Incarnationem tuam, libera.
Per Aduentum tuum, libera.
Per Natiuitatem tuam, libera.
Per Circumcisionem tuam, libera.
Per dolores tuos, libera.
Per flagella tua. libera.
Per mortem tuam,
Per Resurrectionem tuam,
Per Ascensionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,
Per dulcissimam Virginem Matrem tuam,
Per intercessionem omnium Sanctorum tuorum,

Libera nos Iesu.

Agnus

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos *Domine.*
Agnus *Dei*, qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Pater noſter. *ſecretò.*
Et ne nos inducas intentationem.
Sed libēra nos à malo.
Sit nomen Domini benedictum.
Ex hoc nunc, & vſq; in ſæculum.
Non nobis Domine, non nobis.
Sed nomini tuo da gloriam.
Exurge Domine, adiuua nos.
Et libera nos propter nomen tuum.
Domi.

Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

OREMVS.

DEVS, qui gloriosissimum nomen IESV, Christi Filij tui, Domini nostri fecisti fidelibus tuis summo suauitatis affectu amabile, & malignis spiritibus tremendum atque terribile: concede propitius, vt qui hoc nomen IESV deuotè venerantur in terris, sanctæ consolationis dulcedinem in præsenti percipiant, & in futuro gaudium exultationis & interminabilis beatitudinis obtineant in cœlis, per eundem *Dominum* nostrum IESVM Christum Filium tuum, qui tecum &c.

Alia oratio ad IESVM.

O Bone JESV, ô pijssime Jesu, ô dulcissime Jesu, ô Jesu fili Mariæ Virginis, plene misericordia & pietate: ô dulcis Jesu, secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei. O clementissime Jesu, te deprecor per illum sanguinem pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, vt abluas omnes iniquitates meas, & in me respicias miserum & indignum, humiliter veniam petentem, & hoc nomen sanctum Jesu inuocantem. O nomê Jesu, nomen dulce: nomen Jesu, nomen delectabile: nomen Jesu, nomen Jesu, nomen confortans. Quid est enim Jesus, nisi Saluator? Ergo Jesu, propter nomen sanctũ

tuum esto mihi Iesus, & salua me: ne permittas me damnari, quem tu de nihilo creasti. O bone Iesu, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis Jesu, recognosce quod tuum est, & absterge, quod alienum est. O benignissime Jesu, miserere mei, dum tempus est miserendi; ne damnes me in tẽpore iudicandi. Quæ enim vtilitas in sanguine meo, dum descendero in æternam corruptionem? Non mortui laudabunt te Domine Jesu, neque omnes qui descendunt in infernum. O amantissime Iesu, ô desideratissime Iesu, ô mitissime Iesu: ô Jesu, Jesu, Jesu, admitte me intrare in numerum electorum tuorum. O Jesu, salus in te creden-

credentium; O Iesu, ſolatium ad te confugientium. O *I*eſu dulcis remiſſio omnium peccatorũ. O Ieſu fili Mariæ *V*irginis, infunde in me gratiam, ſapientiam, charitatem, caſtitatem, & humilitatem: vt poſſim te perfectè diligere, te laudare, te perfrui, tibi ſeruire, & in te gloriari, & omnes, qui inuocant nomen tuum, quod eſt I E *S* V S, Amen.

EXER-

-ꝏ)*†*(ꝏ-

EXERCITIVM

Actus Contritionis.

DOmine IESV Christe, verus DEUS & Homo, Creator & Redemptor meus;

Quoniam tu is es, qui es, & quia amo te supra omnia.

Pœnitet me ex tototo corde, quòd te offenderim:

Et propono firmiter, nunquam ampliùs peccare, & omnes peccandi occasiones deuitare, confiteri & implere pœnitentiam, quæ mihi iniuncta fuerit.

Condono simul amore tui, ex corde omnes offensas, quibus læsus fortè sum, à quouis proximorum

meorũ,

meorum, & si quid quispiam habeat contra me, vnde iurè coràm te queratur, propono ex animo me proximâ occasione ipsi satis facturum.

Omnia denique opera mea & afflictiones, ac totam vitam tibi offero in satisfactionem meorum peccatorum.

Quemadmodum suppliciter à te peto: sic confido in bonitate tua, & misericordia infinita, quòd ea merito tuæ pretiosæ passionis & mortis, mihi remissurus, & gratiam largiturus sis, ad me emendandum, & ad perseuerandum, vsq; ad mortẽ, A.

Deus propitius esto mihi peccatori

OFFICIOLVM
S. P. IGNATII.

Præparatio.

MEdulla mentis intima,
Ad aſtra tolle ſenſum;
Suetum per alma Cantica,
De more ſolue penſum:
Ignatianis æſtibus,
Amore, Corde, *Zelo.*
Caſtiſſimis affectibus,
Affige vota cœlo.
Sordeſcat orbis infimus,
Mundique mille fraudes;
Solus DEUS ſit optimus
Bonum, quod vſq; laudes.
Adeſto *Sancte* Spiritus!
Adeſto Concinenti!
Opem fer, oro, cœlitùs
Ignatii Clienti!

DEUS in adiutorium meũ intende.

Domine ad adjuuandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, sicut erat in Principio & nũc & semper, & in sæcula sæculorũ, A.

Hymnus.

AB arte miles bellica,
Mundiq; spe dolosa;
Ab æde *Patris* Aulica,
Vitaq; gloriosa;
Ad arma transit Numinis
Ignatius repentè:
Virtute sancti Luminis.
Cor cœlitùs mouente.
Ah! non mihi spes ludicra
Sic captet vlla mentem;
Vt nulla me vox cœlica,
Surdum trahet Clientem:

Sed,

Sed, vt parato pectore
Celer ſequar vocantem,
Lojola, quouis tempore
Pro me roga Tonantem!

℣. Ego in Domino gaudebo.
℟. Et exultabo in Deo JESU meo.

Oremus.

DEUS, qui ad majorem Nominis tui Gloriam propagandam, nouo per beatum Ignatium ſubſidio militantem Eccleſiam roboráſti; concede, vt ejus auxilio & imitatione certantes in terris, coronari cũ ipſo mereamur in Cœlis. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, Filium tuum, &c.

DEUS in adjutorium meum &c.
Gloria Patri, &c. vt ſuprà.

Hymnus ad Laudes.

VEstem perosus splendidam
Lojola, fert lacernam:
Vitamq; ducit abditam,
Intra petræ Cauernam.
Corpus per abstinentiam,
Per flagra, per catenas;
Mentemq; vexat anxiam
Per mille sponte pœnas:
Orando noctes exigit,
Ducit dies precando,
Virile robur prodigit,
Viuit stipem rogando.
Lojola, carnis obtine,
Nos esse semper hostes:
JESUMq; pro tutamine
Ad cordis esse postes.
℣. Ego autem in Domino gaudebo
℟. Et exultabo in DEO JESU meo.

Oratio vt suprà.

DEUS qui ad maiorem, &c.

Deus

Deus in adjutorium meum, &c.

Hymnus ad Primam.

COelestibus dulcoribus
Ignatij dolores;
Et melleis amoribus,
Miscet DEUS labores;
Quando precatur, raptibus
Demergitur profundis.
Ah! rapta mens quàm dulcibus
Tum colliquescit vndis!
Ah! inquit, ut te noscerent
Humana corda, Numen!
Quàm vana mox sordescerent,
Ad tale cuncta lumen!
Gustum DEUS cœlestium,
Solatiumq; verum,
Cum nausea terrestrium,
Da, nos habere rerum.

℣. Ego autem in Domino, &c.

Oratio vt suprà.

DEUS in adiutorium, &c. Gloria
Patri & Filio, &c.

Hymnus ad Tertiam.

VT Spiritûs, dulcedinem,
Virtutis vt decorem,
Noxæq; turpitudinem,
Et Numinis timorem,
Vt sensa posthac cœlica,
Doctâ doceret arte,
Vir vadit ad Scholastica
Discenda signa chartæ.
A paruula, ceu pusio,
Ætate vellicatur;
Ad flagra cum ludibrio
Parisijs vocatur.
Lojola diue, supplicem
Audi, precor, clientem!
Fac artibus me diuitem
Bonis habere mentem!
℣. Ego autem in Domino, &c.

Oratio

Oratio vt suprà.

Deus in adjutorium meum. &c.

Hymnus ad Sextam.

ZElo salutis igneo
 Ignatius calescit,
Gelu rigente brumeo
 Hæc flamma non tepescit.
In stagna mersus algida,
 Cæsusq; fuste duro,
Et membra vinctus pallida,
 Nil, inquit, ista curo;
Jucunda sunt ob proximi
 Ferenda vincla fructûs,
Quòd gaudij sint maximi,
 Non sint origo luctûs.
Magister ignorantium,
 Lojola, digne cœlo!
Fac, corda te precantium
 Pari flagrare Zelo!

℣. Ego autem, &c. Et exultabo, &c.

Oratio vt suprà.

DEUS in adjutorium, &c.

Hymnus ad Nonam.

NOn motus eſt in corpore,
Non ſenſa mentis vlla,
Non Spiritus ſub pectore,
Micansq; vena nulla,
Quàm Numinis non gloriæ
Lojola conſecraret:
Ad ſumma quò ſe gratiæ
Sic dona compararet.
Jam terror audit Dæmonum,
Victorq; paſſionum,
Exterminator hæreſum,
Exemplar actionum.
Exempla, Sancte Spiritus,
Vt ſancta, fac, ſequamur.
In omnibus diuinitùs
Agamus, ac agamur!

℣. Ego autem, &c.

Oratio

Oratio vt suprà.

DEUS in adjutorium, &c.

Hymnus ad Vesperas.

MAter DEI te diligit,
Lojola, teq; IESVS
Cruci ferendæ subijcit,
Crucis dolore læsus.
Te luce multa Trinitas
Illuminat precantem,
Redundat in Te Claritas
Cælestis emicantem.
Vbiq; prouidentia
Diuina te gubernat,
Et inter imminentia
Saluum pericla seruat.
Fac, oro, fac altissimi
Sub dextera quiescam,
Interq; mundi pessimi
Aduersa, nil pauescam.

℣. Ego in Domino, &c.

Oratio ut suprà.

DEus in adjutorium, &c. *Gloria* &c.

Hymnus ad Completorium.

MUltùm Philippus Nerius
Te viuus æstimauit,
Diuusq; te Xauerius
Sanctum Patrem vocauit.
Theresa vidit byssina
Sub signa congregata.
Tenere cælos agmina
Tuorum candidata.
Hos inter, oro, cœlites
Lojola considere,
Nos esse JESU milites,
Nos, fac, DEUM videre.
Et qui tuos miraculis,
Pater, foues clientes,
Semper futuris seculis
Juuare perge gentes!

℣. Ego autem in Domino, &c.

Oratio

Oratio, vt suprà.

DEUS, qui ad majorem &c.

Commendatio in fine.

QUæ *Sacra* panxi Cantica
Tuæ dicata laudi,
Benignitate cœlicâ,
Lojola, semper audi;
Et me tuis virtutibus
Fac vsq; & vsq; plenum!
Et absq; næuis omnibus,
Cor consequi serenum!
Non orbis vlla turbidi
Me subruat procella,
Nec Dæmonis me callidi
Vincant dolosa bella!
Hæc flammeis affectibus
Pro me DEUM precare,
Plenumq; me defectibus
Non desinas amare!

AMEN.

Oratio S. Ignatij Lojolæ.

ANima Christi sanctifica me,
Corpus Christi salua me,
Sangnis Christi inebria me,
Aqua lateris Christi laua me,
Passio Christi conforta me,
O! bone JESU exaudi me,
Intra vulnera tua absconde me,
Et né me permittas separari à Te,
Ab hoste maligno defende me,
In hora mortis meæ voca me,
Et jube me venire ad te,
Vt cum Sanctis tuis laudem te,
In sæcula sæculorum, Amen.

FOMENTA PIETATIS
In Diuum
FRANCISCVM XAVERIVM
Indiarum Apoſtolum
SOCIETATIS JESV.

In Gratiam Eorum.

Qui eius ambiunt clientelam, Mediolani prius Italicè; denuò Gracij Latinè, recens verò recuſa.

CALISSII,
Typis Collegij Societatis JESV,
Anno Domini 1672.

COMPENDIVM VITÆ S. ERANCISCI XAVERII. Soc: JESV.

FRANCISCUS XAUERIVS, in Xauerio Djœcesis Pampelonensis, nobilibus parentibus, totius Orbis Christiani bono editus, S. Ignatio. sese comité & discipulum iunxit. Mortuus semel mundo, vt viueret semper Christo. carnem biduanis triduanisq; iejunijs, cruentis flagellationibus. acuta ferreis clauis zonâ, hausto non semel è morbidorũ vl-

cere pure, ita *Spiritui* ſubegit; vt quãuis non eſſet *Spirit9*, Spiritu, tota ageretur. Virginitate integerrimâ, laboribus indefeſſa; Nubes volatilis potiùs quàm caro, & vmbra Spiritus, continuo amore DEI, & proximi, bùllientis non onus. Miſſus cum Apoſtolici Nuntij Poteſtate in Indias, Apoſtolica munera incredibili penè labore exantlauit, *S*anctitate pariter ac miraculis vere Apoſtolicus, adeoque Apoſtolus Indiarum, oraculo Gregorij 13. in Bulla Canonizationis Anno 1622. omni merito appellat9. Difficillimis barbararum gentium linguis, ſubitò ac diuinitus imbutus: vno in ſuper Idiomate loquens, à diuerſiſſimis nationibus intelligebatur. Currebat per Prouincias Nupides, confixis,

atq;

atq; contuſis non raro pedibus. bajulus ipſe Sacerdotalium indumentorum, & librorū diuinorum, quo pene modo pluſquam centū millia Milliariū in cauſa Euāgelij emēſus. Seruus ſua ſpōte ductori viarū barbaro addictus, eâ alacritate animi, præeuntem equitem ſequebatur pedes; ut interdum manibus ad equū appēſis, ſeu rueret in terram, ſeu violenter raptaretur, iter perageret. Vaticinia edidit innumera, ſigno crucis ſalſum edulcorauit, exarmauit mare precibus, pluit oratione Cineres, profligauit inuocato Numine, barbarorum exercitus: idem eodem tempore geminis, & longiſſimè diſſitis locis, periclitantibus adfuit. Cùm Inſulàm Moro ingreſſus, primum, à Concione audiretur,

con-

concussa terra, rugitusq; ac voces dæmonum auditæ: Tu nos peruris FRANCISCE; tu regno pellis, Jn solo Malacẽsi Episcopatu, octingẽti miraculosè sunt sanati, viginti quinq; mortui suscitati, nec adhuc omnes cogniti. Fide, Iaponiæ, Molucis, Amboino, alijsque Prouincijs vastissimis inuectâ, Cũ magnos Principes, Regesq; &c. complures, ac cũ ijs vigesies Centena Millia populi, manu propria baptizasset, præ gaudiorum cœlestium felici infusorum, multitudine; SATIS EST DOMINE, SATIS EST, sæpè exclamare audiius: laboribus & proximorum saluti procurandæ, satis nunquam dicere voluit: sed continuo zelo anhelans, Sinarum imperuia regna intrare contendit: Vnde ex Insula

San-

Sanciano die 2. Decem: ad laborũ præmia euocatus. Demortui cadauer, viua calce per multos menses bis obrutum, sed penitus incorruptum, odore & sanguine manauit. Idem cum per Mare in Indias reueheretur, scopulus naui imminens, certum Naufragium Nautis ostentabat. Sed inuocata XAVERII ope, effectum admirabiliter, vt non scopulus nauim, sed nauis scopulum finderet, atq; fissum illæsa transiret. Molucæ quoq; ad aduentum mortui, pestis sæuissima confestim sedata, tot deniq;, atq; tam varia miracula, à XAVERIO passim, in illis regionibus edita, vt ex Communi sẽsu: Si XAVERIVS Miracula non faceret, pro miraculo haberetur.

Mortuus Anno D. 1552. initæ *Socieта-*

cietatis 13. ætatis ſuæ 55. In *Sanci-ano*. *Sinarum* Inſula. Feria 6. Decē-bris die 2. A *Sanctiſſimo* D. N. Gregorio 13. an: 1622. Martij *12*. in *San-ctorum* Numerum relatus.

Obſeruanda ÿs, qui proficere volunt in cultu erga.

S. FRANCISCVM XAVERIVM

1. Effigiem Chriſti Crucifixi veneratione proſequi; hæc enim patiente aliquid moleſti in Indijs Xauerio; ſtillabat ſanguinem qualibet feria 6ta. in domo paterna.

2. Aſſiduè DEUM pro cōuerſione infidelium deprecari.

3. Frequenter pro animabus in Purgatorio DEUM rogare.

4. Solicitum pro conſeruanda illibata puritate vigilare.

5. Pro viribus ſuis in obſequia & au-

& auxilia proximi incumbere.

6. Crebro confiteri, & conſcientiam per examina, non ſecus ac pro morte diſcutere.

7. Sæpe Euangelicum illud animo recolere: Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?

8. Quandoquidem Actionibus ſupradictis tota S. Xauerij vita redundat; conniti ad eius imitationē, eaſdem ſibi reddere familiares.

9. Agere, ut promoueatur eius cultus, & veneratio, manifeſtando gratias per eum acceptas, & confitendo noſtram verſus ipſum obligationem.

OFFI-

OFFICIVM
S. FRANCISCI XAVERII. S. J.
AD MATVTINVM.

DOmine labia mea aperies. Et os meũ annuntiabit laudẽ tuã.
Deus in adiutorium meum intende
Domine ad adiuuandum me festina.
Gloria Patri, &c. Sicut &c.

Hymnus.

Jn flore vitæ Xauier,
Spretis honorum fascibus.
Spebusq; stirpis patriæ,
Ad cæli amores vertitur.
Sacri calore Spiritus,
DEO parata victima,
Ignatianis æstuans
Totus liquescit ignibus.

O vita

O vita IESV cordium
Fac, vt, caduca deſerens,
Te, ſortequam conceſſeris,
Mea mens requirat vnicum!

Antiph. *Egredere de domo tuâ, & de cognatione tuâ, & de terrâ Patris tui & veni in terram, quam monſtrauero tibi.* Gen: 12.

Inueni filium Ieſſe, virum ſecundùm cor meum. Qui faciet omnes voluntates meas. Actor. 13.

OREMVS.

DEvs, qui Euangelium Règni tui, Per barbaras gentes, & reconditas nationes, *S.* Franciſci tui Xauerij prædicatione ſeminaſti, & eius ſanctitatem innumeris hactenus miraculis decoraſti: concede quæſumus; vt cujus memoriam agimus etiam virtutes imitemur. Per

Domi-

Dominum nostrum Iesvm, &c.

Ad Laudes.

*D*evs in adiutorium meum &c.

Hymnus.

Exegit omnem laudibus,
Amoribusq; Numinis,
Inter secunda, & aspera,
Vitæ diem Xauerius,
*S*eu manè *S*ol assurgeret,
*S*eu conderetur æquore;
In ore Devs insederat,
In corde Iesvs vixerat.
Mea, Devs, ô felicitas!
Fac, vt (quod olim gestio,
Amare te perenniter)
Dum viuo, totus ordiar.

Antiph. *Quid mihi est in cælo & à te, quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Psal. 71.

Lau-

Laudabit vſque ad mortem.
Anima mea Dominum. Eccl: 51.

Oratio vt ſupra.

Ad Primam.

Deus in adiutorium meum, &c.

Hymnus.

Miſertus orbis vltimi,
Xauerius caliginem,
Ab Occidentis finibus,
Emergit inſtar Cynthij,
DEVM ferebat pectore,
Feris docendum gentibus,
Apoſtolus deperditæ,
Iterum futurus Indiæ.
IESU ſalus mortalium!
Ita fac amare proximum,
Vt ab hoc amore, Curia,
Adaugeatur Cœlitum.

Antiph. *Ite Angeli veloces ad gentem exſpectantem, & conculcatam; cui di-*

cui diruperunt flumina terram. Isa. 18
Dedi te in lucem gentium.
Vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ. Isa. 49.

Oratio vt supra.

Ad Tertiam.

Deus in adjutorium, &c.

Hymnus.

Miraculorum gloriâ,
Apostolatus infulis,
Et gentium præconijs,
Vbique magnus Xauier.
*S*uo tamen suffragio,
Postremus vnus omnium,
Cujuslibet solatijs,
*S*e dedicat Xauerius.
O qui superba conteris,
IESV humilium sublimitas,
Tuo ex amore despici,
Fac, vt frequenter expetam!

Antiph. *Ante Dominum qui elegit me, vilior fiam plusquam factus sum: & ero humilis in oculis meis & gloriosior apparebo.* 2 Reg: 6.

Omnibus omnia factus sum.

Vt omnes facerem saluos. 1. Cor. 9.

Oratio vt supra.

Ad Sextam.

Deus in adjutorium, &c.

Hymnus.

O Virginem Xauerium!
Et sanguinis caloribus,
Erroribusq; gentium,
Et somnijs superstitem!
Hinc castitas post funera
Vetuit malam putredinem,
Intacta semper lipsana,
Xauerij contingere.
O *Diua* Iesv puritas!
O Matre nate Virgine.

Da la-

Da labe fine, me consequi,
Quà ductor Agnus iueris!

Antiph. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate; Immortalis est enim memoria illius; quoniam apud Deum nota est, & apud homines.* Sap: 4.

Hi sequuntur Agnũ quocunq; ierit, Sine macula enim sunt ante thronum Dei. Apoc 14.

Oratio vt supra.

Ad Nonam.

Deus in adjutorium, &c.

Hymnus.

Vastæ remotas Indiæ,
Plagas obit Xauerius.
Lojola sed vel literâ,
Si jusseris reuertitur.
Nec sol, vt vt promptissimus,
Vel stare, vel recurrere,

Volente juſſus Numine:
Telis reſorbet orbitam.
Exordientem Nominis,
Agnoſco Jesv literam.
Opto per hanc cum legibus
Dei placita decurrere!

Antiph. *Audi Fili mi, diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Prou. 1.

In capite libri ſcriptum eſt de me: Vt facerem voluntatem tuam Deus meus. Pſal. 36.

Oratio vt ſupra.

Ad Veſperas.

Deus in adjutorium, &c.

Hymnus.

Cecidêre monſtra Tartari,
Idola pulſa gentium,
Fide inſtituti Iapones,

Chinæ

Chinæ reclusa littora.
Vicena quin & funera,
Et quinque vitæ reddita:
Pulsis tot orbe pestibus,
Francisce, Numen euocat.
Jesu laborum præmium,
Mercede major maximâ:
Conando quidquid gessero,
Te, Te in coronam postulo.

Antiph. *Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum: longitudine dierum replebo eũ: & ostendã illi salutare meũ.* Psal. 90.
Nimis honorati sunt amici tui Deus. Nimis confortatus est principatus eorum. Psal. 138.

Oratio vt supra.

Ad Completorium.

Deus in adiutorium meum, &c.

Hymnus.

Francisce iam cœlestium,
Diuis recepte sedibus,
Dignare te colentium
Pijs adesse mentibus.
Omnem per orbem, gloriæ
Tuæ eriguntur symbola:
Per te impetratæ gratiæ
Vbique stant insignia.
Eous, & Septemtrio,
Meridies, & Occidens;
Et istæ, & ille plurimis,
Tibi calet clientibus,
O perditorum temporum,
Francisce, spes amplissima!
Orbis Pater nouissimi!
Patrone, lux, Apostole.
Salue! tuoq; lumine,
Tuos serena supplices:
Fac, Mundus omnis ardeat,
Diuini amoris Numine,
Fides

Fides vt vna gentium,
Fines inundet omnium;
Vt vna pax cœlestium,
Cor iungat, & terrestrium.

Antiph. *Hic est fratrum amator, & populi Israel, qui multum orat pro populo, & vniuersa Sancta Ciuitate.* Mach. 2. c: 15.

Ora pro nobis S. Francisce Xaueri.

Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMVS.

DEUs, qui Euangelium Regni tui, per barbaras gentes, & reconditas nationes. S. Francisci Xauerij prædicatione seminasti; & ejus sanctitatem innumeris hactenus miraculis decorasti: concede quæsumus vt, cujus memoriam agimus, etiam virtutes imitemur. Per *Dominum*

nostrum

noſtrum IESVM Chriſtum Filium tuum, &c.

A. M. D. G. B. V. M. I. C. H.

LITANIÆ
AD SANCTVM FRANCISCVM XAVERIVM.

Ex ijs.

Quas Illuſtriſſimus Dominus D. F. Caſparus de Villa roel. Epiſcopus S. Iacobi Chilenſis, & Regiæ Hiſpaniarũ Maieſtatis à Conſilijs, in honorem Sancti. quod eius patrocinio inter ruinas ex terræ motu iam ſepultus, ſaluus tamen euaſerit, gratitudinis ergò concinnauit ipſe, & ſtatis ex voto diebus recitauit, ac etiam deinde in publicum aliorũ bonum typis euulgauit.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Chriſte audi nos Chriſte exaudi nos. Pater

Pater de cœlis DEUs, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, mi.
Spiritus Sancte Deus, mi.
Sancta Trinitas vnus Deus, mi.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta Virgo Virginum, ora.
Sancte Pater JGNATI, ora.
Sancte FRANCISCE XAVERI, dignissime, & dilectissime Fili S. P. Jgnatij, ora.
S. Francisce Xaueri Indiarum Apostole, ora.
S. Francisce Xaueri Euangelizans pacem, ora.
S. Francisce Xaueri Euangelizans bona, ora.
Vas electionis portans Nomen Jesu coram gentibus, ora.

Vas

Vas redundãs Diuinæ Charitatis o.
Firmamentũ Orientis Ecclesiæ, o.
Propugnator Fidei, ora.
Impugnator infidelitatis, ora.
Prædicator Euãgelicæ Veritatis, o.
Idolorum destructor, ora.
Electum à Patre æterno instrumentum propagandæ Diuinæ gloriæ, o.
Fidelis imitator, & Socie Iesu Christi Filij Dei, ora.
Tuba resonans sancti Spiritus, ora.
Columna Templi Dei. ora.
Lux Paganorum, ora.
Magister credentium, ora.
Speculum veræ pietatis, ora.
Dux in via virtutum, & Christianæ perfectionis, ora.
Exemplar Apostolici Spiritus, & sanctitatis, ora.
Lumen cæcorum, ora.

Fes-

Pes claudorum, ora.
Auxiliator naufrăgantium, ora.
Salus ægrotorum, ora.
Fugator Dæmonum, ora.
Vita mortuorum, ora.
Cujus poteſtati obediunt mare, & tempeſtates, ora.
Cujus imperia venerantur vniuerſa elementa, ora.
Prodigiorum Thaumaturge, ora.
Refugium miſerorum, ora.
Gaudium afflictorum, ora.
Orientis ſplendor, ora.
Pignus reſurrectionis ad vitam gratiæ, & gloriæ, ora.
Tabernaculum incorruptionis. ora.
Ærarium Diuini Amoris, ora.
Gloria Societatis JESV, ora.
Legate Apoſtolicæ Romanæ Sedis.
Pauperrime Xaueri, ora.

Caſtiſ-

Castissime Xaueri, ora.
Obedientissime Xaueri, ora.
Humillime Xaueri, ora.
Crucis Christi, ac laborũ pro Christo cupidissime Xaueri, ora.
In salutem proximi vigilantissime Xaueri, ora.
Suauissime Xaueri, ora.
Gloriosissime Xaueri, ora.
Animarum, & Diuini honoris Zelator ardentissime, ora.
Angele moribus, & vitâ, ora.
Patriarcha affectu, & studio, curandi populum Dei, ora.
Propheta dono, & Spiritu, ora.
Apostole dignitate, & merito. ora.
Doctor gentium, potens in multifario sermone & opere, ora.
Confessor virtute, & vitæ professione, ora.

Virgo

Virgo animo, & corpore, ora.
In quo vno omnium Sanctorum merita, ex Diuinâ benignitate veneramur. ora.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Miserere nobis.
Christe audi nos, Christe exaudi nos
Kyrie eleison, Christe eleison Kyrie eleison. Pater noster, &c.
Et ne nos inducas in tentationem,
Sed libera nos à malo
Ora pro nobis S. Francisce Xaueri.
Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

ORENVS.

DEVS, qui Indiarum gentes, Beati

Francisci Prædicatione, & miraculis Ecclesiæ tuæ aggregare voluisti: concede propitius; vt, cuius gloriosa merita veneramur, virtutum quoq; imitemur exempla. *Per Dominum* nostrum Iesum Christum Filium tuum, &c.

Oratio S. Francisci Xauer: pro persecutoribus.

Tursel. vita l. 5 c. 6.

Domine Jesu Christe, *Deus* cordis mei, per acerbissimos mortis tuæ cruciatus, obtestor te, vt intuearis tuas ipse cicatrices & vulnera, quæ Patri tuo assiduè pro nobis exhibes, eaque salubria esse velis omnibus persecutoribus nostris, vt resipiscant.

Aspirationes S. Franc. Xauer: morientis. Iesv!

JESV! IESV! Fili David miſerere mei.
Tu peccatorum meorum miſerere!
Mater Dei memento mei! Monſtra
te eſſe Matrem. IESU DEus cordis
mei! In te Domine ſperaui, non
confundar in æternum!

AFFECTUS
Amantis Animæ
S. FRANCISCI XAVERII.

O Deus! ego amo Te.
Nec amo Te, vt ſalues me;
Aut: quia non amantes Te,
Æterno punis igne,
Tu, Tu, mi IESV, totum me,
Amplexus es in Cruce:
Tuliſti Clauos, Lanceam,
Multamque Ignominiam.
Innumeros Dolores,
Sudores & Angores,
Ac mortem, ; & hæc propter me,

Ac pro me peccatore:
Cur igitur non amem Te,
O IESV amantissime?
Non, vt in cœlo salues me?
Aut ne in æternum damnes me?
Nec præmij vllius spe.
Sed, sicut Tu amasti me,
Sic amo, & amabo Te.
Solùm, quia Rex meus es;
Et solùm, quia DEVS meus es.

Aspirationes eiusdem Sãcti quotidianæ ex Vita & Epist. excerptæ.

IESV Christe Fili DEI viui, da hoc nobis, vt te super omnia diligamus.

Da nobis Domine, sanctissimæ voluntatis tuæ perfectè semper agnoscendæ & adimplendæ gratiam.

Non nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.

Quis

Quis mihi det, vt ego moriar pro te, & cognoſcant te omnes fines terræ!

Ampliùs Domine cruciari ãplius, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.

Satis eſt Domine, *Te ſi habeam*, ſatis eſt.

Domina opitulare! Sanctiſſima DEI Parẽs, cæli Regina, quæ quicquid oras Filium, ſemper exoras, eſto Aduocata noſtra.

Aſpirationes eiuſdẽ inter dormiendũ.

Relat: pro Canoniz. p 19.

Mi IESV! dulcis IESV!
O IESV bone! ô Creator mi!

ZELUS SALUTIS. ANIMARVM.

Ex Orat. S. F. Xaueri, quæ habetur apud

tur apud Lucenam. l. 5. c. 5.

MEmento clementissime rerum omnium conditor *Deus* animas infidelium, hæreticorum, & peccatorum à te solo creatas, quas ad imaginem, & similitudinem tuam fecisti, ecce Domine in opprobrium tuum his ipsis quotidie implentur inferni. Memento pretiosi sanguinis, & amaræ mortis, quam pro ijs vltrò suscepit IESVS Christus vnigenitus tuus. Recordare lacrymarum, suspiriorum, & vulnerum eius. Ne permittas vltra *Domine*, eundem dilectũ Filium tuum à paganis & peccatoribus denuo crucifigi, & ostentui haberi. sed precibus electorum tuorum placatus, fac vt infideles, hæretici, & peccatores omnes agnoscant, diligant

æter-

æternumq́; glorificent te, & quem misisti IESUM Christum nostrum, pro quorũ omnium salute ego me totum, meaque omnia diuinæ Majestati tuæ offero, & deuoueo. *Confiteantur tibi populi DEVS, confiteantur tibi populi omnes. Omnis terra adoret te, & psallat tibi!*

Ordinaria pia opera erga S. Xauerium singulis mensibus.

Oportunum fuerit singulis primis ferijs sextis cuiuslibet mensis, sacræ synaxi accumbere, ac iejunium eiusdẽ diei stabile offerre Deo, cum dictâ communione, pro animabus Purgatorij, quæ peculiariter affici erga *Sanctũ* consueuerunt.

Proderit deinceps, quâuis tertiâ Dominicâ mensis, coronam Beatissimæ Virginis recitare, aut sacro

Missæ

Missæ sacrificio interesse, supplicando pro cõuersione gentium insuper Communioné quæ forté feriâ sextâ minùscommodè accideret, eodem Dominico peragere.

Singulis Hebdomadis.

Feriâ sexta cuiuslibet hebdomadæ, conducet inuisere templum S. Apostolo dedicatum, aut altare, recitando eo in loco decies Pater, decies Aue, & decies gloria Patri, recolendo memoriam annorum decem quos pro salute proximi in Indijs impendit; factaque intentione orandi pro omnibus, Sancti hujus Patroni honorem fideliter, ac solicité procurantibus.

Singulis diebus.

Singulis diebus licebit cuiuis ter deuoté pronunciare sequentia: *S.* Franci-

Franciſce Xaueri ora pro nobis, vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. Commodius fortè accidet iſta dicere. Primò, cum electo ſurrexeris; ſecundo, veſpere priuſquã decumbas; tertio, ſub horam vigeſimam primam, qua & Chriſtus, & Sanctus tuus Patronus obierit.

Extraordinaria pietatis opera.

Quodſi quis peculiarem aliquã interceſſioně ipſius Sãcti, pro impetrãda ſibi à *Deo* ſingulari gratiâ deſideraverit; vtetur ſequentibus, & iam vſitatis alibi Sanctum inuocandi, & honorandi rationibus. Eligat primo decem ferias ſextas continuas, quarum quamlibet iejunio, confeſſione, & communione peracta, tranſigat. Recitet ſecundò decies Pater, decies Aue, & decies Gloria

Patri,

Patri, in Ecclesiâ, aut ad altare sancto Apostolo consecratum. Offerat Deo merita Sancti sui Patroni exhibita ab eo per id tẽpus, cùm is proximorum saluti deseruiret. Oret pro Ecclesiæ sanctæ publicis necessitatibus. Pro conuersione infidelium, & Catholicorum, eorum maximè, qui obstinati voluuntur in sceleribus; præsertim si quos tales, in viciniâ domûs, aut regionis fore contingeret. Pro animabus item in Purgatorio, & pro singulis, qui sancto huic Apostolo peculiariter se dedicârunt. Quibus omnibus demissè id subiunge, quod postulas, & roga desideratam gratiam.

Per decem has hebdomadas cõsultum erit. sæpius historiam vitæ ipsius sancti inspicere; vt ad sequ

Iam he-

lam heroicarum ipſius virtutum, exciteris; & majorem fiduciam cõcipias conſecuturæ gratiæ ex ipſius interceſſione.

Aduerte, prædictas deuotiones vſui etiam eſſe poſſe, cùm gratias agere volueris de beneficio non vulgari per interceſſionem *S.* Xauerij obtento. *Intentio.*

*S*uſcipe ſencte Pater, omnipotés æterne *D*eus, ad laudem & gloriam ſacratiſſimi nominis tui & (hic exprime propriam intentionem, ad quam omnia huius diei opera, offere vis) omnia, quæ ego indignus famulus tuus hodie ſum cogitaturus, dicturus, facturus, & paſſurus. Hæc tibi ego *D*eo meo viuo, & vero, omnia & ſingula, ſiue parua ea ſint, ſiue magna, in vnione merito-

rum vi-

rum vitæ passionis & mortis vnigeniti Filij tui *Domini* nostri I E *S* U Christi, nec non sacratissimæ eius genitricis Virginis Mariæ, & beatorum *A*postolorũ, Martyrum, Confessorum, Virginum, omniũq; tam triumphãtis, quam militantis Ecclesiæ tuæ, offero: quorum precibus meritisq; concede, vt hoc holocaustum in conspectu *Diuinæ* Majestatis tuæ, cum odore suauitatis ascendat. Per eundem Christum *Domi*num nostrum. *A*men.

Oratio ante studia ad B. Virginem.

O sedes sapientiæ Beatissima Virgo MARIA! ô Tabernaculum Spiritus S! ô liber septem signaculis gratiæ *S*piritus *S.* obsignate, scripte intus & foris *Diuini* amoris penicillo in quo sunt omnes thesauri sa-

pientiæ

pientiæ & ſcientiæ Dei reconditi. O Dulciſſima ſponſa Spiritus S. fac quæſo per Immaculatam Conceptionem tuam, vt linguam meam erudias, atq; in labijs meis, gratiam tuæ benedictionis infundas. Impetra mihi intelligendi acumen, addiſcendi facilitatem, retinendi capacitatem, interpretandi ſubtilitatem, loquendi gratia copioſam, A.

Actus Contritionis.

Domine I E S V Christe, animarum noſtrarum amator ardentiſſime, qui præ nimia charitate tua, non vis mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & vivat; doleo ex intimo corde meo, quod te Deum meum, atq; benigniſſimum redemptorem offenderim, qui me vſq;adeo dilexiſti, vt pro me ſeruo vili-

ſtimo, ſanguinē tuum pretioſū fundere, & mortem acerbiſſimam ſubire dignatus ſis. O bonitas infinita Deus meus, vtinam te nunquam offendiſſem, quia infinitè bonus es, & ſuper omnia cordis mei deſiderabilia amabilis. Jgnoſce bone Iesu miſericordiam petenti. Miſerere peccatoris, pro quo apud Patrem tuum, vox ſanguinis tui interpellat. Jgnoſco & ego pro amore tui, omnibus, qui me vnquā offēderunt; firmiterq; ſtatuo, vniuerſa deinceps peccata fugere, & ea, quæ contra immenſam bonitatem tuam commiſi, in amaritudine cordis confiteri; ac te Deus meus propter temetipſum ſuper omnia amare.

Recollectio Horaria

O IESV, ſummum & omne bo-

num meum! Cur vnquam te offendi? Ah verè penitet me ex intimis medullis, ideòq; vel maximè, quia tibi soli peccaui. Et quid iam agam? te æstimo, te vnũ amo super omnia, propter te ipsum, qui hoc amore meo, omniq; alio, sine fine dignus es.

Actus Fidei. Spei. & Charitatis ante Com.

Credo mi IESU, Te esse in hoc Sacramento verũ DEVM & hominem; in hac, & pro hac fide, mori sum paratus. Et cum hac fide Te suscipio. Spero mi IESV me aliquãdo visurum Te in gloria Tua. Amen amen Domine mi. In hac spe suscipio Te. Amo Te mi IESV super omnia quia summa bonitas es. In hoc & ex hoc amore suscipio Te. O

Domine non ſum quidem dignus, ſed quia hæc eſt bonitas & dignatio Tua, Veni deſidero *Te* millies, deſidero infinities, veni & imple deſiderium meum. Nuuc tempus eſt Domine ornare me meritis, gratijs & virtutibus *Tuis*, & omnium electorum Tuorum dignè Te, quia pauper ſum vilis & abiectus nimis.

Poſt Communionem.

Mi IESV portio mea Corpus tuum, portia Tua Corpus meum. Mi IESV portio mea volũtas Tua, portio Tua voluntas mea. O Domine vtinam totus transformer in Te. O ſi ſanguinem poſsim fũdere pro Te.

O Corpus IESV à me ſumptũ, immuta animam meam & corpus meum, transforma me, Chriſtifica me, Deifica me.

Genu

Genu flectens Dic 5.

LAVDETVR *SANCTISSIMUM* SACRAMENTVM.

Affectus ad Christi Domini Vulnera.

O magnũ misteriũ! ô profunda. magna vulnera! ô dulcedo *Diuinitatis!* adsis mihi ad æternam beatitudinem obtinendam.

Saluto Domine IE*S*V Rosea, ac suauissima vulnera tua, quæ suscepisti pro me, in quibꝰ descripsisti me. Saluete, Saluete, *S*aluete, vernãtes & salutiferæ plagæ Redemptoris mei, & amatoris mei.

Post mortem apparuit S. Xauerius ægrotanti Magistrillo, in forma Peregrini, Neapoli 30. Ianuarij 1034. eumq; persanãs, hunc modum salutandi S. Crucem docuit in hac verba. Aue lignum Crucis, aue Crux pretiosissima; me totum tibi dedico in perpetuum.

OFFI-

OFFICIVM PARVVM.
BB. TRIVM MARTYRVM
JAPONENSIVM
IOANNIS, PAVLI, & IACOBI.
Societatis Jesu.

Ad Matutinum.

Momentaneũ & leue tribulationis nostræ, supra modũ in sublimitate gloriæ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis

DOmine labia mea aperies,
Et os meum annuntiabit laudẽ tuam
Deus in adiutorium meum intende.
Domine ad adiuuandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.
Sicut erat in principio, &c.

Hymnus.

FOrtes auete milites,
Quorum cruore Iapones,
Et purpurascit inclytæ.
Ager ferax Ecclesiæ.
Vestro hunc rigate sanguine,
Terramq; cordis aridam:
Fœcunda fructus proferat,
Quos horreis cæli inferat

Antiph.

Antiph. Iustorũ animæ in manu Dei sunt, & nõ tanget illas tormẽtũ malitiæ, visi oculis insipiẽtiũ mori, illi autẽ sunt in pace.
V. Nos autem oportet gloriari in Cruce Domini Iesu Christi.
Per quem nobis mundus crucifixus est, & nos mundo. ORATIO.

DEus qui Beatos Martyres tuos Ioannẽ, Paulũ, & Iacobũ martyrij gloriâ decorasti, cõcede quæsumus; vt quorum gloriæ coronã in cælis veneramur; eorũ fortitudinis exẽplũ & passionis cõstantiã imitemur in terris, per Dominũ nostrum, &c.

Ad Primam.

Deus in adiutoriũ: &c, Domine, &c.

Hymnus.

O Lata amoris viscera!
O charitatis pectora!
Quæ non Tyranni vincula
Stringere valent, aut verba.
Per vestra, solui, vincula,
Noxas rogamus criminum,
Mens vt beatis libera
Cæli fruatur sedibus.

Nos

Nos autem oportet glor: &c. vt supra.

Ad Tertiam.

Deus in adiutorium, &c. Gloria &c.

Hymnus.

AD carceres, ad Iudices
Læti trahuntur *Martyres.*
In vinculis, in carcere,
Deum fatentur iugiter.
Confessione supplices
Vestra precamur Martyres.
Numen quod ore credimus,
Nostris fateamur moribus.
Nos autem oportet gloriari, &c. vt sup:

Ad Sextam.

Deus in adiutoriū &c. Gloria Patri, &c.

Hymnus.

FAme premantur viscera,
Sitisque fauces asperâ,
Cæli tamen mens gaudijs
Solarijsque pascitur.
Sitim, famemque petite,
Manna supernum promite,
Vitæ perennis riuulos,
Desideratos fundite.

Nos autem oportet gloriari, &c. vt supra.

Ad Nonam.

Deus in adiutor: &c. Gloria Patri, &c.

Hymnus.

NAres & aures impie
Tibi Tyranne tolito.
Mens verba Sponsi percipit,
Melosque gratum personat.
Vitæ relictis gaudijs,
Christo vocanti obtemperat:
Mundus vilescit, desipit.
Christusq; solus perplacet.
Nos autem oportet gloriari, &c. vt supra.

Ad Vesperas.

Deus in adiutor: &c. Gloria *Patri*, &c.

Hymnus.

GRatam Deo se victimam,
In stipite crucis consecrant,
Vt veriores assectæ
Christi sui sint principis.
Nobis supremo à Numine,
Constantiam deposcite,
Crucem vt feramus alacriter
Adusque finem fortiter.
Nos autem opo: &c. vt sup: Ad

Ad Completorium.

Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, & auerte iram tuam à nobis.

Deus in adiutorium meum intende.

Domine ad adiuuan: &c. Gloria Patri &c.

Hymnus.

O Glorioſi Martyres,
Ueſtrum polorum Principi,
Cruore fuſo ſpiritum,
Qui reddidiſtis vltimum:
Cor noſtrum amoris ſpiculo,
Offerte Chriſto ſaucium,
In ſpiritu vitæ vltimo,
Opemque nobis mittite.

Nos autem oporter gloriari, &c. vt ſupra.

OBLATIO.

HOc gratulamur carmine,
Vobis triumphum Martyres,
Et purpuratam ſanguine,
Vobis fauemus lauream.
Vitæ peracto termino,
Veſtro omniumque cælitum,
Vt perfrui conſortio,
Nobis liceat in ſæcula, Amen.

AFFECTVS VIRTVTVM THEOLOGICARVM.

Fides. Credo, Domine, credo. Tu adiuua incredilitatem meam. Suggerit alia mundus, caro, dæmon: non credo. Verbum tuũ manet in æternum. Pro hoc exige à me Domine ſanguinem, exige ſpiritum: ecce paratum cor meum. Mille gladijs, ignibus, rotis exhibebo hoc corpus, vt tua ſtet illæſa veritas.

2. Quis me ſeparabit ab hac Veritate? Certus ſum, quod nec gladij, nec cruces, nec tela, nec ignes, nec inferorum tormẽta me poteruntab ea ſeparare. Tua veritas DEVS fallere non poteſt, tua ſapientia falli non valet. Tu dixiſti. Satis hoc mihi eſt omni ratione humana, vt etiam ſanguine ſubſcribam.

Spes. Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me? Habes bonitatẽ DEI, & miſericordiã paratam, quæ vult; habes omnipotentiam aſsiſtentem, quæ poteſt opitulari; habes ſanguinem & merita Chriſti, quæ pro te apud æternum Patrem perorant. Proijce te ergo anima mea in bra-

chia

chia misericordiæ, & omnipotentiæ DEI.
Quam nihil potes ex te, tam omnia potes in eo, qui te confortat.
2. In te Domine speraui: & quis mūdi impetus, quæ carnis illecebræ, quæ dæmonū astutia præualebit? nō confundar in æternum. In te Domine speraui: quod vitium non extirpabo? quam virtutem tuâ gratiâ nō assequar? &c. *Dicāt* omnia ossa mea; tu es spes mea, Deus meus in æternum.
3. Si DEVS pro me, quis cōtra me? Si exurgant aduersum me castra, non timebit cor meū. Si consurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo, quia scit infinitâ sapientiâ, potest infinitâ omnipotentiâ, vult infinita bonitate mihi auxiliari.
Charitas. Domine tu scis, quia amo te: quoniā tu solus bonus, tu solus sanctus, tu solus dignus omniū creaturarum amore. Supplete vos, ardētes Cherubim, tu ardētior Cherubinis Virgo, quidquid deest amori meo. O viuā! ô moriar amore tui. Moriar potius, quam te non amem.

JESVS MARIA.

OFFICIVM SANCTI. STANISLAI. KOSTKA.

Societatis IESV.

AD MATVTINVM.

Domine labia mea aperies,
Et os meum annuntiabit laudē tuam.

Deus in adiutorium meum intende
Domine ad adiuuādū me festina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui. Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & semper & in sæcula sæculorū. A.

Hymnus.

LUx nata nuper ſarmatis,
Amorque noſtri climatis:
Salue Beate Koſtule,
Cæleſtis horti floſcule.

℣. Ecce odor filij mei ſicut odor a-
gri pleni.

℟. Cui benedixit Dominus.

℣. Domine exaudi orationẽ mea
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio

DEus, qui per Angelicas man
B. STANISLAVM KOSTK
Confeſſorem tuum, ſacro filij
corpore dulciter ſatiaſti: conc
propitius, vt per eius interceſſion
eundem Filium tuum, quem nu
per Fidem in admirabili *Sacra*
to veneramur & ſumimus, rev

tâ facie in cælis contemplari, valeamus Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

AD PRIMAM.

Deus in adiutorium &c.
Domine ad adiuuandum &c.
Gloria Patri, & Filio &c.
Sicut erat in principio, &c.

Hymnus.

DElicium Magni Patris,
Suauiolum Magnæ Matris:
Vnum præsta, vt cor meum,
Quidquid volet, velit Deum,

℣. Puer paruulus; & ipsum solum habet mater sua.
℟. Pater verò tenerè diligit eum.
℣. Domine exaudi orationem meã.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

DEus, qui per Angelicas manus, sanctum STANISLAVM KOSTKAM Confessorem tuum, &c, vt supra.

AD TERTIAM.

Deus in adiutorium &c.
Domine ad adiuuandum &c.
Gloria Patri & Filio, &c.
Sicut erat in principio, &c.

Hymnus.

FLammis supernis æstuas,
Nobis calores impluas.
Non vnda flammas temperet,
Ignis medullas concremet.

℣. Aquæ multæ non poterant extinguere charitatem.
℟. Nec flumina obruent illam.
℣. Domine exaudi orationem.
Et clamor meus &c. Ora

Oratio.

DEus, qui per Angelicas manus, sanctum STANISLAVM &c.

AD SEXTAM.

Deus in adiutorium &c.
Domine ad adiuuandum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio, &c.

Hymnus.

IUbar repandis aureum,
Stillas liquorem melleum,
Guttam mitte sitienti:
Et quem stringis, da poscenti,

℣. Quasi flos rosarum in diebus vernis. (situ aquæ.

℟. Et quasi lilia quæ sunt in tran-

℣. Domine exaudi orationem &c.

℟. Et clamor meus &c.

Oratio.

DEUS, qui per Angelicas manus. Beatum STANISLAVM KOSTKAM Confeſſorem tuum, &c.

A D NONAM.

Deus in adiutorium &c.
Domine ad adiuuandum &c.
Gloria Patri. & Filio, &c.
Sicut erat in principio, &c.

Hymnus.

ARridet Æther gaudijs,
Tuisque plaudit baſiis:
Quas Angelorum manibus,
Sumis, nos paſce frugibus.

V. Panem Cæli dedit ei.
R. Panem Angelorum manducauit homo.

Domine exaudi orationem &c.
Et clamor meus &c.

Oratio.

Oratio.

DEus qui per angelicas manus, sanctum STANISLAVM Kostkam Confessorem tuum. &c.

AD VESPERAS

Deus in adiutorium &c.

Domine ad adiuuandum &c,

Gloria Patri, & Filio, &c,

Sicut erat in principio, &c.

Hymnus.

PEr tuum Virgo flosculum,
Per tuum Iesu Kostulum,
Tuâ nos gratia muni,
Et Patri æterno vni.

℣. Fulcite me floribus, stipate me malis.

℟. Quia amore langueo.

℣. Domine exaudi orationem &c.

℟. Et clamor meus &c.

Oratio.

Deus. qui per Angelicas manus, Sanctum stanislaum kostkam confessorem tuum, &c.

AD COMPLETORIVM

Converte nos Deus salutaris noster.
Et auerte iram tuam à nobis.
Deus in adiutorium, &c
Domine adiuuandum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio, &c.

Hymnus

O Kostka christi gemmula.
Cæli micantis flammula:
Iesum da meis fletibus,
Da Dominum gemitibus,

℣. Consummatus in breui expleuit. tempora multa.

℟.

℟. *Placita* enim erat Deo anima illius.

℣. Domine exaudi orati: &c.

℟. Et clamor meus &c.

Oratio

DEus, qui per Angelicas manus, ſanctum *Stanislaum* Koſtkam confeſſorem tuum, ſacro filij tui corpore dulciter ſatiaſti: concede propitius, vt per eius interceſſionem eundem Filium tuum; quem nunc per fidem in admirabili Sacramento veneramur & ſumimus, reuelatâ facie in cælis contemplari valeamus Per eundem Chriſtum *Dominum* noſtrum AMEN.

SANCTISSIMI SACRAMENTI

Laudetur Sanctissimum Sacramētum.

Adoro te domine Iesu Christe in hoc tuo *Sa*nctissimo *Sa*cramento quod propter me inhabitare dignaris. Assumo omnes omnium creaturarum adorationes & affectus, ijsq; te omnibus adoro, veneror, & colo hancq; adorationem in æternum continuo. offero tibi sincerissimo quo possum amoris & reuerentiæ affectu, omnes actiones meas internas & externas, deliberatas & indeliberatas, tuumq; adiutorium mihi adesse postulo. Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam.

JESV Virgineæ castitatis amator & auctor, qui Beatum Stanislaum

Kostkam,

Kostkam, immaculatum in hoc se-
culo custodisti; concede propitius
ut qui eius memoriam propter te,
qui inter spiritualia lilia libenter
pasceris, recolimus, eius precibus
ac meritis intactam à mundi ille-
cebris animam ac corpus, pro tuo
domicilio semper seruemus. qui vi-
uis &, regnas in secula seculorum,
Amen.

Oratio pro timore Dei obtinendo.

Da nobis quæsumus Domine; sapi-
entiæ tuæ initium, vere iustitiæ fũ-
damentũ, sanctum timorem tuum;
vt & debilitati nostræ timentes, &
iudiciorum tuorum abyssum per-
timescẽtes, quidquid nos à te, tu-
aque gratia divellere potest, fugia-
mus, vitamq; nostram summa soli-
citudine & circumspectione com-
ponamus.

Pro

Sanguine tuo Domine Iesv à peccatis meis laua me & præsta vt anima mea cùm è corpore migrauerit ante Tribunal tuum munda appareat Per acerbissimam mortem tuam quam pro me sustinuisti in cruce, miserere Peccatrici animæ meæ in suprema illa mortis lucta à qua tota pendet æternitas O Bone JESV, passionem, crucem, & mortem tuã pone, inter iudicium tuum & animam meam, & propitius esto mihi peccatori.

OFFICIVM
B. ALOYSII.
GONZAGÆ.

AD MATVTINVM.

Domine labia mea aperies.
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus in adiutorium meum intende
Domine ad adiuvandum me festina
Goria patri & Filio, & *S*piriiui sã-cto, Sicut erat, &c.

Hymnus.

CAnduit noster Ludouicus illâ
Mente, quâ semper fuit inno centi.
Vt suo crispæ niveo bidentes,
Vellere candent.

Alo-

ALoysi Conzagarum decus, honor iuuentutis, *S*ocietatis ornamentum, càstitatis lilium, flos obedientiæ, paupertatis viola, rosa verecundiæ, virtutum omnium mille folium, fac ut qui breui vitæ compendio, grandævæ ætatis perfectionem comprehendisti, te hic imitemur, & ibi laudemus in sempiternum.

Consummatus in brevi expleuit tempora multa.

Placita enim erat Deo anima illius.

Oratio:

Deus, qui famulum tuum Aloysium ad maiorem Nominis tui gloriam in Societatem Filij tui vocare dignatus es: largire quæsumus, ut qui columbinæ innocen-

tiæ

tiæ iubar imitamur in terris, eius gloriæ participes fieri mereamur in cælis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

AD PRIMAM.

Deus in adiutorium meum intende
Domine ad adiuuandum me festina
Gloria Patri. *Sicut erat*, &c.

Hymnus.

Lilium plus quàm nivei coloris.
Integræ vivo tibi castitatis,
Semper ex largis oculis refuso
Floruit imbre.
Aloysi Gonzagarum decus.
vt supra.

℣ Consummatus in breui expleuit tempora multa &c.

Oratio

Deus qui famulum tuum Aloysium

sium ad maiorem Nominis tui glo-
riam in Societatem Filij tui vocare
dignatus es: largire quæsumus, ut
quem Angelicæ castitatis speculum
esse vidimus in terris, eius gloriæ
participes fieri mereamur in cœlis.
Per Christum, &c.

AD TERTIAM.

Deus in adiutorium meum intende
Domine ad adiuuandum me festina
Gloria Patri. Sicut erat, &c.

Hymnus.

CAlcar in molles penetravit àrtus
Sæpius, quando minime rebellé
Pinxit armatis laqueis vocata,
purpura carnem.
Aloysi Gonzagarum decus.
&c. ut supra.
℣. Consumatus, &c.

Oratio.

DEvs, qui famulum tuum Aloysium ad maiorem Nominis tui gloriam in Societatem Filij tui vocare dignatus es: largire quæsumus, vt quem seuerum sui corporis vindicem colimus in terris ejus gloriæ participes fieri mereamur in cælis. Per Christum: &c.

AD SEXTAM.

Deus in adjutorium meum intende.
Domine ad adjuuandum me festina.
Gloria Patri. Sicut erat, &c.

Hymnus.

CUm spopondisset Diadema mundus.
Sceptra cum diues regio dedisset.
Sceptra Gonzaga, & diadema, vanas
Credidit vmbras.

B. Aloysij.

Aloysi Gonzagarum decus. &c. vt supra.

V. Consummatus, &c.

Oratio.

DEVs, qui famulum tuum Aloysium ad maiorem Nominis tui gloriam in Societatem Filij tui vocare dignatus es: largire quæsumus, vt quem nobis voluntariæ paupertatis idæam proponimus in terris, eius gloriæ participes, fieri mereamur in cœlis. Per Christum Dominum nostrum. Amen

AD NONAM.

Deus in adjutorium meum, &c.
Domine ad adjuuandum &c.
Gloria Patri. Sicut erat, &c.

Hymnus.

Veluti massam figulus sequacem,
Fingit,

Gonzagæ.
Fingit, in quam vult agitare formā.
Ductilem, sic te poterant superni
Flectere nutus.
Aloysi Gonzagarum decus,
&c. vt supra.
V. Consummatus, &c.

Oratio.

DEVS, qui famulum tuum Aloysiúm ad majorem Nominis tui gloriam in Societatem Filij tui vocare dignatus es: largire quæsumus, vt quem nobis cæcæ obedientiæ exemplar dedisti in terris eius gloriæ participes, &c.

AD VESPERAS.

Deus in adiutorium meum &c.
Domine ad adjuuandum &c.
Gloria Patri. Sicut erat, &c.

Hymnus.

Cum fatigabat precibus beatos,
Et piæ terram lachrymæ rigabant
Visus es crebro quasi raptus ipsum
Cernere Numen.
Aloysi *Gonzagarum* decus,
&c. vt supra.

Oratio.

DEUS, qui famulum tuum Aloysium, ad majorem Nominis tui gloriam, in *Societatem* Filij tui vocare dignatus es: largire quæsumus, vt qui nobis diuinæ contemplationis specimen præstitit in terris, eius gloriæ participes fieri mereamur in cœlis, Amen.

AD COMPLETORIVM.

Conuerte nos Deus salutaris noster,
Et auerte iram tuam à nobis.
Deus in adjutorium meum, &c.

Gloria Patri. Sicut erat, &c.

Hymnus.

Ceſſit è viuis Ludouicus, omni
Ritè virtutum ſpecie decorus;
Magna virtutum ſeries beatæ
Teſſera vitæ.

Aloyſi Gonzagarum decus,
&c. vt ſupra.

Oratio.

DEvs, qui famulum tuum Aloyſium ad majorem Nominis tui gloriam in *Societatem* Filij tui vocare dignatus es: præſta quæſumus; vt quem optimarum virtutum Magiſtrum habuimus in terris, eius gloriæ participes fieri mereamur in coelis. Amen.

OBLATIO.

Hoc tibi noſtrũ Ludouice carmen.

Debito conor recitare voto,
Vt malum nobis medico propinqui
Pollice pellas

Dilectus meus mihi & ego illi; qui pa-scitur inter lilia.

Oleum effusum Aloysi nomen tuum; Adolescentuli dilexerunt te nimis.

OMnipotens sempiterne DEVS qui Beatum Aloysium in Societatē Filij tui IESU, gratiâ contemplationis, & sanctimoniæ candore admirabili exornasti. Præsta quæsumus, vt eius celebrantes memoriam apud te, tui exactam nominis cognitionem, & puritatis inuiolabilis assequamur gloriam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

O Beatissime Aloysi, *S*ancte Adolescens, o magne mundi victor, at contem-

contemptor, quem purissimis castitatis insignitum lilijs, omnes fines lætabunda voce decantant, atque commendant. Obsecro te toto cordis affectu, impetra mihi quod potes à Deo, purissimæ castitatis, & perfectæ humilitatis sinceritatẽ, Iesv Christo Domino meo deseruire. Deus qui Beatum *A*loysium, famulum tuum, per totum vitæ tempus, ab omnium turpium cogitationum & mortiferæ culpæ macula, liberasti, vt perfecto tibi amore deseruiret, quæsumus, vt nos ei similes facias, munere, & amore. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OFFICIVM PARVVM B. FRANCISCI BORGIÆ, Soc: JESU.

Ad Matutinum.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.

Domine labia mea aperies.

Et os meum annuntiabit laudem tuam.

Deus in adjutor: &c. Gloria &c.

Hymnus.

Illustre sidus Principum,
Francisce salue maxime,
Qui fœtido cadauere
Viso, horruisti sæculum;
Auerte nostra lumina,
Ne vanitates hauriant,
Sed in supremam cælitum
Sint fixa sedem iugiter.

An. Tæduit me vitæ meæ, videntem mala vniuersa esse sub sole, & cuncta vanitatem, & afflictionem spiritûs.

Vers. Non aspiciam hominem vltra, & habitationem quietis.

Resp. Hæc requies mea in sæculũ sæculi, quoniam elegi eam.

ORATIO.

OMnipotẽs sempiterne Deus, qui spreta mundi vanitate B. Franciscum Borgiam ad societatem filij tui vocare dignatus es: præsta quæsumus, vt, quem eximiæ sanctimoniæ exemplar habuimus in terris, eius coronæ participes fieri mereamur in cœlis: Per Christum Dominum nostrum, &c.

Ad Primam.

Deus in adiu: &c. Gloria, &c. *Hy-*

HYMNVS

SAlue columna Gandiæ,
Et Religionis gloria;
Qui aulâ relictâ Principis
*A*ulam petisti Numinis?
Seruos fideles cælitum
*S*eruire fac nos *Principi*
Vt tecum eodem præmio
Fruamur, atque gaudio.

Ant. Apud te laus mea, in Ecclesiâ magna: uota mea reddam in cõspectu timentium eum.

Vers. Beatus, quem elegisti, & assumpsisti; inhabitabit in atrijs tuis.

Resp. Replebimur in bonis domûs tuæ.

Oratio *vt supra.*

Ad Tertiam.

Deus in adiu: &c. Gloria, &c.

HYMNVS.

SAlueto ſpeculum pauperum,
Opumque ſpretor inclyte,
Felicitatem diuitum
Qui vanitatem duxeras.
Fac ſpiritu nos pauperes,
Virtute verò diuites
Gazas caducas ſpernere,
Solumque Chriſtum quærere.

Antiph. Coaceruaui mihi argentum & aurum, & ſubſtãtias regum. & prouinciarum: vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole.

Verſ. Beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius.

Reſp. Et non reſpexit in vanitates & inſanias falſas.

Oratio *vt ſupra.*

Ad Sextam.

Deus in adiu: &c. Gloria, &c.

Hymnus.

SAlue polaris flammula,
Cœli voluptas Borgia,
Deuotionis lachrymâ
Cui madebant lumina.
Rores supernos gratiæ
Deuotionis deplue,
Cor incalescat frigidum
Flammis amoris æstuet.

Ant. Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu altissimi deprecabitur.

Vers. Tanquã imbres mittet eloquia sapientiæ suæ.

Resp. Et in oratione confitebitur Domino. Oratio *vt supra.*

Ad Nonam.

Deus in adiu: &c. Gloria, &c.

Hymnus.

SAlue pudicitiæ rosa,
Et castitatis lilium;
Hostis voluptæ maxime
Carnisque victor nobilis.
Tu puritatem corporis
Mentisque serues integram,
Cor munda ad omni crimine,
Dignus thronus sit Numine,

Ant. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines.

Vers. Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam.

Resp. Et secundum puritatem manuum

nuum mearum in conspectu oculorum eius. Oratio *vt supra.*

Ad Vesperas.

Deus in adiu: &c. Gloria, &c.

Hymnus.

SAlue culmen humilium,
Exemplum obedientiæ,
Calcatâ honoris purpurâ;
Demissionis gratiâ
Qui claruisti maximâ.
Motus superbos comprime,
Mentes rebelles edoma,
Humilesque veros effice.

Ant. Sapientia humilitati exaltabit caput illius, & in medio magnarum consedere illum faciet.

Vers. Memoriam superborum perdidit *Deus.*

Resp. Et reliquit memoriam humiliũ sensu. Ora: *vt supra.* *Ad*

Cõuerte nos Deus ſalutaris noſter.
Et auerte iram tuam à nobis.
Deus in adiu: &c. Gloria, &c.

Hymnus.

SAlue poteſtas dæmonum
Bellator inuincibilis
Qui nobilis victorijs
Plaudens migrâſti è corpore.
Aduerſus infernalium
Tentationes hoſtium,
Nobis ades fortiſſimum
In morte propugnaculum.

Ant. Juſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit, Senectus enim venerabilis eſt, non diuturna, neq; annorũ numero computata.

Verſ. Glorioſa in cõſpectu Domini
Reſp. Mors ſanctorum eius.

Obla-

Oblatio

HÆc tibi dicamus Borgia
Præconiorum carmina.
His te polorum principem,
Terræque iubar extollimus.
Præsta tuis virtutibus,
Vt vita nostra fulgeat;
Eâdem vt inter cælites
Tecum micemus gloriâ.

EXERCITIVM
SPIRITVALE

Ab omni Fideli Christiano ad minimũ semel de die attentè dicendum.

ADoro Te Sanctissima Trinitas, Pater & Filius, & Spiritus S. tres Personæ, vnus & solus Deus.

Deijcio me in abysso mei nihili, sub conspectu Diuinæ Majestatis Tuæ. Credo firmissime, paratus mille vitas profundere, in cõtesta-

tio-

tionem omnium eorum, quæ nobis in sacra scriptura reuelasti, & per veram Ecclesiam tuā credēda proposuisti. Omnem spem meam in Te colloco, & quidquid possum habere boni, siue spiritualis, siue corporalis, & in hac & in altera vita, id totū desidero, spero & volo, solùm consequi de Tua Manu Deus meus vita mea, & vnica spes mea.

Consigno Tibi hodie, & in perpetuū corpus & Animā meam, omnes potentias meas, memoriā, Intellectum, voluntatem, & omnes sensus meos. Protestor me non consentire, neq; consensurū vnquā, quantum in me est, in vllam rem quæ fiat, vel cum minima offensa Tuæ Diuinæ Maiestatis. Propono firmissimè, impendere omne esse meum,

um, facultates ac vires meas, ad seruitium & Gloriam Tuam. Paratus sum suscipere, quascunq; aduersitates mihi Paterna Tua manus immiserit, ad dandũ gustum Beatissimo cordi tuo. Vellẽ me totum, quantusquantus sum, impendere, & procurare, vt ab omnibus Tibi seruiatur; atq; omnes homines, Te glorificent & ament Deum Creatorem suum. Gaudeo summè de Tua æterna felicitate: & exulto de Tua tã magna Gloria, in Cœlo & in terra.

Gratias Tibi ago Infinitas, pro innumeris beneficijs, quæ mihi & toti mundo collata sunt, & in eum incessanter à benignissima Tua prouidentia conferuntur. Amo Tuam infinitatã Bonitatẽ propter seipsam ex toto affectu cordis, & animæ

meæ,

meæ, & vellem, si possem ... amore, quo Te amant An[illegible] mines iusti, cum quorum amor[illegible] go imperfectissimum amorem n[illegible]

Offero Diuinæ Maiestati Tuæ, in [illegible]ne meritorum passionis vitæ & mortis Christi, ex nunc, pro semper omnia opera mea; pretiosissimo Sanguine IESU Redemptoris nostri lota & inuoluta.

Volo etiam omne illud quod possum offerre in pœnitentiam & satisfactionem meorum peccatorum.

Deus meus, cum Tu sis infinitè dignus omni amore & seruitio, siquidem Tu es, qui es, doleo, quãtum possum maximè, de omnibus meis peccatis, illaq; detestor, supra omnia alia mala: peto humillimè veniam, facioq; firmissimum propositum, nunquã offendendi Tuam Bonitatem in æternum. In Tua vulnera me projcio, ô IESU, ibi me absconde & defende, hodie & semper donec mihi largiaris gratiam viuendi Tui & amandi in æternum.

Amen.